

atque inclinatio varia. Alioquin finis hermeneuticae non est varietatem opinionum ac controversias omnino tollere sed minuere; et negari non potest, plurimis in locis varietatem interpretationum per studia hermeneutica revera esse imminutam. Nempe opinionum varietas in omni scientiae artisque genere adest; et nemc propterea regulas ipsas dixerit superfluas.

§ 5.

**Supremum hermeneuticae biblicae principium.**

1. — Supremum alicujus scientiae principium est illa veritas, quae omnium veritatum ejusdem scientiae fons est atque ultimam rationem continet.

Principium est illud ex quo aliquid quomodounque consequitur. Et quidem consequitur ex principio aut consequentis cognoscibilitas (pr. logicum), aut ejus essentia tamquam ex parte (pr. essendi), aut ipsa existentia (pr. existendi seu causa). Principium ergo cognitionis seu scientiae est illa veritas, ex qua aliae veritates tamquam ex fonte manant, seu quae fundamentum est multarum ejusdem generis veritatum. Quaevis scientia ordinata veritates suas ad unum principium fundamentale reducere et ex illo deducere nititur, quod supremum principium appellatur.

2. — Qua lege cogitationes verbis significantur, eadem lege ex verbis eruuntur. Interpretatio enim eandem viam ab idea ad signum sequitur, quam idearum significatio, sed ordine inverso. Lex autem cogitationum manifestandarum ea est, ut illae consuetudine loquendi alicujus linguae, ordine idearum connexarum, auctori et circumstantiis convenienter, seu juxta grammaticae (philologiae), logicae (ac rhetoricae) et historiae (ac psychologiae) leges verbis exprimantur. Quicumque ergo loquens intelligi vult, aliqua lingua, idearum ordine et sua conditione utatur, necesse est. At quibus mediis cogitatio manifestatur, ex iisdem etiam colligitur, ergo ex lingua, contextu sermonis et conditionibus historicis. Haec tria sunt quasi criteria sensus; et quidem duo priora interna e natura sermonis deprompta, tertium est criterium externum, e relationibus sermonis (ad personas et res) petitum.

Hinc *supremum hermeneuticae communis principium* est sequens:

*Sensum orationis per consuetudinem sermonis (linguam), contextum, et conditionem auctoris internam atque externam (subjectivam atque objectivam), — seu via grammatica (philologica),*

*logica (ac rhetorica), et historica (psychologico-historica) — quaere et propone.*

Ex hoc principio sequitur *regula hermeneuticae communis suprema*:

*Omnis sensus, qui consuetudini loquendi, contextui item auctoris conditioni non convenit, rejiciendus est; verus enim sensus cum his omnibus simul conveniat necesse est.*

Hoc principio et hac regula tota hermeneutica communis velut semine continetur. Supremum ergo hermeneuticae communis principium et suprema regula est norma interpretationis cuiusvis sermonis ac libri; ergo idem principium et eadem regula est etiam prima interpretationis S. Scripturae norma, quia etiam Scriptura liber est.

3. — Omnis sermo et liber naturae suae convenienter est explicandus. Ille liber, qui extraordinariam habet indolem, peculiares etiam interpretandi regulas postulat. Sacra ergo Scriptura etsi sermone humano scripta et ut talis librorum humanorum modo explicanda est, tamen quum simul liber sit divinitus inspiratus et fons fidei ecclesiae ad interpretandum commissus: partim naturalem, partim supernaturalem habet characterem, cuius hermeneutica biblica rationem habeat, oportet. Hinc in ejus interpretatione non solum illae regulae valent, quae interpretationem cuiusvis libri naturalis moderantur, sed etiam aliae, quas inspiratio et natura fontis ecclesiae commissi praescribunt.

Etiamsi in aliis libris (e. g. juris codicibus) explicandis regulae hermeneuticae communis sufficient, in interpretanda S. Scriptura certe non sufficiunt; quia divina origo et authentica interpres infallibilis naturam ejus essentialiter mutant, scilicet supernaturalem efficiunt. Ad regulas ergo hermeneuticae communis regulae peculiares addenda sunt, ut interpretatio naturae libri conveniat. Immo regulae istae peculiares ipsas regulas communes contingunt; quum character S. Scripturae naturalis a supernaturali reipsa separari non possit. Inde sequitur

*Supremum principium hermeneuticae biblicae:*

*Sensum S. Scripturae per consuetudinem sermonis, contextum et conditionem loquentis internam atque externam quaere et propone — ratione habita inspirationis (duplicis auctoris ac naturae Scripturae) et interpretationis authenticae atque infallibilis ecclesiae.*

Hinc manat regula:

*Omnis interpretatio, quae praeter consuetudinem sermonis, contextum et conditionem loquentis etiam characteri S. Scripturae*

*inspirato et interpretationi authenticae non convenit, rejicienda est; vera enim interpretatio his omnibus simul convenire debet.*

4. — Secundum regulas hermeneuticae communis fit interpretatio Bibliorum naturalis seu *rationalis*, id est interpretatio eorum ut librorum, sermone humano scriptorum. Ad quam interpretationem, nisi rationalistica atque irrationalis fieri velit, pro natura S. Scripturae divina accedat oportet respectus inspirationis, quo interpretatio fiat *Christiana*. Hic perperam consistit interpretatio *protestantica*. *Catholica* autem interpretatio, sola naturae librorum sacrorum undique rationem habens, insuper considerat interpretationem Bibliorum authenticam. Non est ergo alia Bibliorum interpretatio vere rationalis, quam catholica, sola totius eorum naturae habens rationem.

5. — Antequam interpres opus suum aggrediatur, arte critica textum an incorruptus sit, examinet; et si eum mutatum invenerit, integrum atque originalem conetur restituere lectionem. Testimonia autem lectionum sunt externa et interna; *externa* sunt monumenta textus (manuscripta, versiones, citata, collectanea lectionum variantium et editiones principes); interna sunt lingua, argumentum, stylus et conjectura.<sup>1</sup> Sicut in aliis quaestionibus historicis, ita etiam in re critica *argumenta externa rem decidunt*; argumenta interna plerumque non gignunt, nisi probabilitatem.

*Regulae criticae* praecipuae interpreti a limine exegesis necessariae sunt sequentes.

#### A) Quoad testimonia externa.

1. Testimonia sicut testes factorum examinanda sunt. Si omnes aut plurimi et antiquissimi testes in aliqua lectione convenient, illa pro genuina et originali est habenda.

2. Lectio Hebraica, cui antique versiones repugnant, valde suspecta est et rejicienda. Quum enim omnes codices Hebraici, qui exstant, recensionem masoreticam primis versionibus longe recentiorem sequantur, itaque ex uno fonte manent, unaque sint familia: revera non multi sunt testes, sed unus.

3. Lectio N. Testamenti, Patribus et antiquis versionibus ignota genuina esse non potest.

<sup>1</sup> *Conjectura critica* est hypothesis contra testium fidem lectionem originariam verisimilem fingens et ita textum traditum corrigens vel potius corrumpens.

#### B) Quoad argumenta interna.

1. Lectio absurda et sensum historice vel dogmatice falsum exhibens in dicto inspirato<sup>1</sup> non potest esse genuina.

2. Probabilior est illa lectio, ex qua origo reliquarum bene deduci potest.

3. Lectio grammaticae, logice, historice vel dogmaticae difficilior praferenda est lectioni faciliori. Mutatio enim, si fiat, in melius fieri solet; et verisimilior est emendatio textus difficilis, quam corruptio textus facilis.

4. Argumentis internis, nisi testes sint suspecti vel inter se discrepant, uti non licet. Imprimis cavendum est, ne quis ea consensui omnium testium vel fere omnium opponat.

5. Textum critice certum vel valde probabilem ob causas hermeneuticas, ad meliorem vel faciliorem sensum obtainendum, relinquere non licet.

6. Maxime vitanda est mutatio textus arbitraria ex causis exegeticis adversus testimonia.

*Regula* hermeneutica de usu textus et lectionum:

*Nunquam licet S. Scripturam contra testimonia monumentorum textus interpretari.* Impossibile enim esse videtur, in tanta monumentorum copia veram lectionem sine vestigiis interiisse.

#### § 6.

#### Hermeneuticae biblicae divisio.

Supremum principium jam indicat hermeneuticae biblicae divisionem. Nam secundum illud hermeneuticae est *sensum investigare et proponere*; hinc hermeneutica in tres partes dividitur: a) in *theoriam sensus*, b) *investigationem sensus*, et c) *propositionem sensus*. Partes illae nomine Graeco vocari possunt: noematica, heuristica et prophoristica.

Quum autem supremum principium praecipiat, ut in sensu biblico investigando ratio habeatur naturae sermonis, inspirationis et authenticae interpretationis: investigatio sensus rursum in tres partes (sectio-nes) subdividitur, quarum prima est investigatio mere *rationalis*, secunda *Christiana*, tertia *catholica*.

<sup>1</sup> In libris profanis et in ipsis dictis biblicis aliunde citatis vel ab auctore non probatis textus falsus originalis esse potest. Auctores enim profani falsa vel absurdia dicere ac scribere possunt.

Porro sectio prima juxta regulas hermeneuticae communis Bibliis applicatas tribus capitibus exponit leges *consuetudinis sermonis, contextus et conditionis loquentis.*

Synopsis ergo totius hermeneuticae biblicae est sequens.

*Pars prima. Theoria sensus. (Noematica.)*

*Pars secunda. Investigatio sensus. (Heuristicā.)*

*Sectio prima. Heuristicā rationalis.*

Caput primum. De consuetudine sermonis. (Investigatio sensus philologica.)

Caput secundum. De contextu. (Investigatio sensus logica et rhetorica.)

Caput tertium. De conditione loquentis. (Investigatio sensus psychologico-historica.)

*Sectio secunda. Heuristicā Christiana.*

Caput primum. Systema Christianum.

Caput secundum. Systemata antichristiana.

*Sectio tertia. Heuristicā catholica.*

Caput primum. De principio fidei.

Caput secundum. De authentica Scripturae interpretatione.

Caput tertium. De interpretatione protestantica.

*Pars tertia. Propositio sensus. (Prophoristica.)*

*Sectio prima. Species expositionis Scripturae.*

*Sectio secunda. Historia exegesis biblicae.*

Caput primum. Historia exegesis apud Judaeos.

Caput secundum. Historia exegesis apud Christianos.

### § 7.

#### Hermeneuticae biblicae fontes.

Hermeneutica biblica principia sua ex variis disciplinis haurit, multosque et varios habet fontes. Hi sunt

- a) Scientia linguarum, imprimis biblicalium et cognatarum.
- b) Logica et rhetorica.
- c) Psychologia.
- d) Historia, archaeologia et geographia antiqua, praesertim Hebraica et Judaica.
- e) Dogmatica Christiana ejusque historia.
- f) Patrologia et historia ecclesiastica.
- g) Historia operum bibliorum (litteraturae biblicae).

Inde jam patet, hermeneutam in multis et variis disciplinis instructum esse oportere. Quibus in exegesi accedit necessitas scientiae ipsarum rerum, de quibus in S. Scriptura agitur: rerum dogmaticarum, moralium, historicarum, philosophicarum, physicarum etc. Itaque non mirari oportet, perfectos Bibliorum interpretes tam raro inveniri. Quicunque ergo optat Biblia intelligere, multis interpretibus magistris utatur, sensum omni ex parte illustrantibus.

### § 8.

#### Relatio hermeneuticae ad studium biblicum et theologiam.

1. — Finis omnium studiorum biblicalium est libros sacros intelligere. Atqui ut intellectus horum librorum optetur ac quaeratur, naturam, originem, virtutem et historiam eorum nosse oportet. Notitiam librorum sacrorum exhibet, eorumque auctoritatem humanam et divinam demonstrat *introductio historica-critica*; intellectio regulas proponit *hermeneutica biblica*; interpretationis opus perficit *exegesis*. Hae ergo sunt partes studii biblii praecipuae. Hermeneutica autem conditiones exegesi statuit scientias philologicam, historicam et archaeologicam. Ita quinque sunt studii biblii partes, quae omnes ad intelligenda Biblia spectant:

1. *introductio historica-critica,*
2. *hermeneutica biblica,*
3. *philologia sacra,*
4. *historia et archaeologia biblica,*
5. *exegesis.*

*Introductio* et *hermeneutica* sunt partes theoreticae, *exegesis* est disciplina practica, *philologia* et *historia* cum *archaeologia* sunt subsidia.

In scholis distingui adhuc solet studium biblicum Antiqui et Novi Testamenti. Quae distinctio etiamsi practica sit, systematica tamen non est. Immo separatio illa neque penitus et subtiliter perfici potest; duo enim testamenta invicem se contingunt et ambo in unam salutis oeconomiam confunduntur.

2. — Sunt, qui studium biblicum tamquam partem theologiae minus necessariam parvi pendunt vel saltem in praxi negligunt. Hanc sententiam alioquin Patrum agendi rationi et ecclesiae legibus contraria natura finisque studii biblii condemnat. Reversa studium biblicum in theologia Christiana tanti momenti est tamque necessarium, quam ipsa S. Scriptura in revelatione Christiana. Scriptura autem praeterquam quod est opus Dei maximi aestimandum, una est *primarius lapis angu-*

laris revelationis Christianae et *fons praecipuus*. Ita studium quoque biblicum est *fundamentum* theologiae Christianae principale et *via ad fontem* primarium.

Religio namque Christiana a Deo facto supernaturali revelata est. Cui revelationi ut rationabiliter credatur, praeter Dei exsistentiam atque revelationis possibilitatem (praeambula fidei philosophica), constet oportet revelationem revera contigisse (praeambulum fidei historicum). Factum autem revelationis ut quodvis factum testimonii probatur, quae in hoc casu non possunt esse nisi testimonia divina, argumentis supernaturalibus velut sigillis Dei, scilicet miraculis et vaticiniis confirmata. Sed ipsa miracula et vaticinia testimoniis fide dignis probanda sunt.

De revelatione facta et ejus argumentis testimonium perhibent libri sacri qua documenta historica,<sup>1</sup> deinde historia ecclesiastica (et aliquando etiam profana). His ergo, tamquam primariis lapidibus factum revelationis et ipsa ejus argumenta supernaturalia innituntur. Studium autem biblicum principaliorem horum lapidum ostendit ac sustentat, itaque *fundamentum* omnis theologiae Christianae ponit.

Verum S. Scriptura non solum fundamentum est, sed ut liber inspiratus etiam *fons* revelationis Christianae isque praecipuus.

Revelatio enim Christiana S. Scriptura et traditione continetur. Scriptura etsi non ubertate et claritate, tamen dignitate operis Dei inspirati et immediatae vocis divinae vi ac gratia traditioni praestat. Fons tamen ille praestantissimus partim ob argumenti sublimitatem, partim ob res, quas refert, antiquas et peregrinas, partim ob stili difficultatem saepe obscurus est, et scientiarum adjutorio, ut intelligatur, indiget. Atqui studium biblicum fontem illum aperit aptumque ad usum reddit. Itaque hoc studium dignitatem et necessitatem fontis ipsius aliquatenus participat.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> In libris sacris distinguenda sunt documenta historica a fontibus revelationis inspiratis. Quando de revelationis existentia agitur, libri sacri tantum qua documenta historica omni fide digna spectantur, et mens ab eorum inspiratione abstrahitur, ne revelationem libris inspiratis id est revelatione demonstrando circulo vitioso implicantur.

<sup>2</sup> Ad rem dicit S. P. Leo XIII. in encycl. »Provid. Deus«: »Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut ejusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam ejusque prope sit anima; ita nimis omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt... Neque id cuiquam fuerit mirum, qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis libris deberi, ut nisi eorum studio usque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari.«

3. — Ordo ergo disciplinarum theologicarum hic est.

I. *Praeambula*:

1. *Philosophia*.

2. *Studium biblicum*.

3. *Historia ecclesiastica et patrologia*.

II. *Theologia theoretica* (seu credendorum):

1. *Theologia fundamentalis*.

2. *Dogmatica specialis*.

3. *Apologetica*.

III. *Theologia practica* (seu agendorum):

1. *Theologia moralis*.

2. *Theologia pastoralis* (cum rhetorica et paedagogia).

3. *Jus canonicum*.

Protestantes et eos secuti nonnulli catholici disciplinas theologicas in quatuor genera dividere solent, quae sunt:

a) *Theologia exegética* (*studium biblicum*),

b) *Theologia histórica* (*historia eccl. et patrologia*),

c) *Theologia sistemática* (*dogmatica, moralis, apologetica*),

d) *Theologia práctica* (*pastoralis, jus canonicum*).

§ 9.

*Historia hermeneuticae biblicae ante protestantismum.*

Sicut praxis praecedit theoriā, lingua grammaticam, carmina regulas artis poētiae et musicæ: ita etiam interpretatio Biblorum antiquior est quam collectio et sistema regularum interpretationis. Ex diuturno demum usu regulæ abstractæ sunt, quae deinde exultae et in scholis discussæ, tandem in scientiam hermeneuticam adoleverunt.

1. — *Apud Judæos* quum lectio et interpretatio Scripturae jam ante Christum, immo ante captivitatem vigeret (Deut. 17, 8—12. 18. 21, 5. 31, 9—13. 24—26.), certe aliquæ interpretationis leges exercabantur. Sed principia legesque interpretationis eorum ignoramus. Post Christum rabbini regulas interpretationis ex usu colligere coepiunt. Jam *R. Hillel* septem regulas (middoth) constituit, quae inter alia conclusionem a majore ad minus, a generali ad particulare et vice versa, item sensum per contextum et locos parallelos illustrandum docent. *R. Jisma'el ben Eliša'* (ineunte saec. II.) regulas Hillelis ad 13 auxit, et praeter alia de locis pugnantibus componendis tractavit. *R. Eli'ezer ben Jose Haggelili* (medio saeculo II.) jam 32 regulas ex praxi constituit, quae in editionibus talmudis post tractatum Berakhot

enumerari solent. Medio aevo Aben Ezra et Majmonides regulas interpretationis exposuerunt; sed hermeneuticam biblicam nemo rabbinorum ex professo tractavit.

2. — Sicut olim in synagogis Judaeorum, ita etiam in conventibus primorum *Christianorum* S. Scriptura legebatur et explicabatur, nec tamen ab initio regulae interpretationis constituebantur. Doctrinam traditam et praedicationem ecclesiae (regulam fidei) supremam interpretationis normam fuisse ex innumeris Patrum dictis et perpetua eorum agendi ratione appareat.

*Patres apostolici et apologetae*, etsi Scriptura frequenter usi, veros tamen commentarios atque interpretationis regulas non confecerunt. At jam saeculo II. *Melito Sardensis* non solum commentarios, sed etiam opus hermeneuticum sub titulo *clavis* (*η κλεις*) conscripsit, in quo tropos biblicos explanavit. Scriptores saeculi III. et IV. in operibus suis multas interpretationis regulas proposuerunt, sed eas in peculiarem disciplinam non collegerunt. Ita Clemens Alex. et *Origenes*, quorum posterior in opere *De principiis* (*περὶ ἀρχῶν*) l. IV. praecepta hermeneuticae catholicae tradidit, adversus Judaeos atque haereticos defendit et interpretationis suae allegoricae principia exposuit. *Diodorus Tarsensis*, scholae Antiochenae magister († 394) librum scripsit sub titulo: *Quomodo differt theoria* (typus) *ab allegoria?* qui liber periit. Regulas adhuc hermeneuticas constituerunt praeter *Tertullianum* S. Joannes Chrysostomus et S. Hieronymus. *Chrysostomus* (hom. in *Jer. 10. 33.* et hom. 15. in *Joan.*) contextum, auctorem, lectores, consilium loquentis, occasionem, locum, tempus et modum scribendi consideranda esse monet. *Similiter S. Hieronymus* multa (ep. ad *Pammach.* *De optimo genere interpretandi*, dein liber quaest. *Hebr.* in *Gen.*, de nominibus et locis *Hebr.*, praef. in 12 proph., in quat. evang. etc.) de regulis interpretationis disserit.

Primus, qui opus peculiare de hermeneutica biblica composit, est *S. Augustinus* († 430), cuius opus: *De doctrina Christiana* libri quatuor, praesertim libro III. et IV. (Praecepta tractandarum Scripturarum) uberius et accuratius de arte interpretandi agit. Hujus libri scribendi occasionem dedit imperfectus et ab omni errore minime vacuus liber *Donatistae* cuiusdam *Tychonii*, anno circ. 390 editus, qui inscriptus erat: *Septem regulae ad inquirendum et inveniendum sensum S. Scripturae.* Hoc opere motus, *S. Augustinus* uberius et systematice super regulis interpretationis Bibliorum scripsit. Agit de signis idearum, de Scripturae obscuritate, de stylo biblico, de modis interpretationis, etc. Memoria dignum est in hoc opere jam heuristicam et prophoristicam distingui.

»Duae sunt res, inquit Augustinus, quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: *modus inveniendi*, quae intelligenda sunt, et *modus profendi*, quae intellecta sunt.« (L. I. c. 1.) Praeterea S. Augustinus multas interpretationis regulas in operibus dispersas exhibet. (De Gen., Expos. Psalm., De civ. Dei etc.)

E Patribus et antiquis scriptoribus adhuc de regulis hermeneuticis scripserunt:

*Isidorus Pelusiota* († circ. 440—450) in suis epistolis exposuit principia hermeneutica scholae Antiochenae. Opus eius: *De interpretatione divinae scripturae* saepius (Heidelberg 1605., Venet. 1745. etc.) editum.

*Eucherius Lugdunensis* († circ. 450) duo scripsit opera hermeneutica sub titulis: *Formularum spiritualis intelligentiae ad Uranium liber unus et Instructionum ad Salonium filium libri duo.*

*Adrianus monachus* (saec. V. vel ineunte VI.) opus confecit: *Eἰσαγωγὴ εἰς τὰς θεῖας γραφὰς Introductio ad divinas scripturas*, ubi secundum principia scholae Antiochenae locutiones figuratas S. Scripturae, imprimis Ant. Testamenti, interpretatur.

*Junilius Africanus* (medio saec. VI. in epistola ad *Primasium* *De partibus divinae legis* regulas interpretationis Scripturae ab aliquo scholae Edessena socio acceptas proponit.

*M. Aurelius Cassiodorus* († cc. 565—575) inter alia opera scripsit *De institutione divinarum litterarum*, *De artibus et disciplinis liberalium litterarum*, *De schematibus et tropis*.

3. — *Medio aevo*, quum inter arma Musae silerent et linguae ipsae biblicae, praesertim in occidente ignotae jacerent, exegesis Patrum vestigiis potissimum instituit, nec hermeneutica colebatur.

Quaedam tamen interpretandi regulae in commentariis vel eorum prooemiosis inveniuntur, specialiter apud *Vener. Bedam*, qui sensum litteralem, allegoricum, tropologicum et anagogicum distinguit; deinde apud *Alcuinum*, *Rabanum Maurum*, *Hugonem a S. Victore* et alios, imprimis autem apud *S. Thomam* (Sum. theolog. I. q. 1. n. 9. et 10 etc.) cuius doctrinam hermeneuticam infra tradituri sumus.

Saec. XIV. et XV. plures casus, tum studia biblica, tum etiam hermeneuticam adjuvare cooperunt. Anno 1311. in conc. Viennensi decretum est, ut in universitatibus cathedrali linguarum orientalium constituerentur. Eodem tempore studia humaniora scientiam linguarum antiquarum excitarunt. Ars typographica inventa (1440—1450) divulgationem librorum sacrorum et aliorum facilorem reddidit atque auxit.

Urbe Constantinopolitana a Turcis (a. 1453) occupata, multi eruditi Graeci patria profugi codices sacros et profanos, item scientias